



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 5. Principium 5. In dubio tutior pars est eligenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

fumi prudenter potest, Superiorem ea nescivisse, quæ scire ei officio debebat; nec cogitari justè, quòd ea, quæ necessitas in tali dispositione observanda cognoverat, temerè aut malitiosè omittere voluerit.

Deducitur 3. Scrupulosum, qui dubitat, num confiteatur in grave Peccatum, posse se resolvere, quòd non confiteatur, uti ex communi docet Busenbaum l. 1. tr. 1. c. 3. resp. 4. nominatim Azor, Sanch. Vasq. Filliut. & alii asserentes, tales non debete quidquam judicare esse Peccatum mortale, nisi certò sciat.

## §. V.

## PRINCIPIUM V.

In dubio tutior pars est eligenda.

*Sensus.*

Hoc est, quando agitur de damno gravi proprio aut alieno avertendo, aut magno bono procurando, semper tutior pars est eligenda, per quam certius illud malum removeretur, aut bonum desideratum obtinetur. Non autem procedit hoc axioma in casu, quo utraque Pars Probabilitatis limites non egredietur, tunc enim cum alterutram partem sequi sine peccato liceat, absque gravi damno aut boni grandis jactura, non potest voluntas ullum ex alterutra sententiâ practica periculum timere.

*Authoritas.*

Desumptum est ex cap. Juvenis. 2. de Sponsal. & cap. ad audientiam 12. de homicid. Item ex cap. si quis autem de pœn. dist. 7. ubi dicitur: *Tene certum, & dimitte incertum.* Habetur etiam in Jure Civili. §. Curare 33. Instit. de actio. Item sc. si fuerit 10. ff. de rebus dub. illudque refert, & defendit Barbosa axiom. 78. n. 2. cum Vasq. Sanch. Sayro. Salas & pluribus aliis.

*Ratio.*

Quia hoc ipso, quòd Natura & Ratio dicet, omne malum periculum fugiendum esse, dicabit etiam minus Periculum (quod

quale incurritur, si certiora quis eligat) præ majori eligenda esse.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Si Sacerdos possit habere certam formam & Materiam in Sacramentorum (Baptismi maxime, & Penitentiae) administratione, non posse dubiam duntaxat habere, uti cum Suar. Vasq. Henriq. Regin. & pluribus aliis docet Bonacina d. 1. q. 2. pu. 1. n. 32.

Deducitur 2. Eum, qui negativè dubitat, num actio aliqua sit licita, non posse illam sine peccato exercere, uti communiter docent Authores, & colligunt ex noto axiomate Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Deducitur 3. Eum, qui dubitat, num adsit impedimentum Matrimonii, non posse contrahere, uti docent Ferd. de Soto Laym. & alii apud & cum Bardi disc. 6. c. 11. pu. 7. §. 11. colligitur ex Cap. Juvenis de Sponsal.

§. VI.

*PRINCIPIUM VI.*

*Frustra remedium quæritur, ubi nulla est læsio.*

*Sensus.*

Hoc est, quando Finis, ob quem remedium institutum contineri non potest, non debet multum in remedio quærenti aut applicando laborari.

*Authoritas.*

Desumptum est ex le. ex consensu. 23. §. 1. ff. de Appellat. ubi et alioque refert, & approbat Gribaldus l. 2. de Method. lit. F. communium Authorum.

*Ratio.*

Quia cum remedium tale tantum quærat, & adhibeatur propter læsionem, ut supponitur, rectè inferitur, cessante læsione tanquam sine, ipsum etiam remedium adhibendum non esse.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. frustra Scrupulosos angere de peccato à se